

VII. *De eodem Phænomeno Genevæ viso, Epistola Viri Clarissimi Domini Johannis Ludovici Calandrini, Math. Prof. Ordinar. Genevæ, ad Jac. Jurin, R. S. Secr.*

*Dabam Genevæ Kal. Nov. 1726.*

**D**IE Saturni  $\frac{12}{2}$  Mensis Octobris, horâ sextâ & dimidiâ vespertinâ, Aurora Borealis fulgere cœpit, Phænomenon vobis quidem fatis familiare, nobis verò ex seniorum sententiâ plane novum, sed tam illustre, & circumstantiis à vulgaribus in Transactionibus sæpe descriptis tam diversum, ut de eo audiisse fortasse non pigebit.

Primò quidem, quâ horâ dixi, Arcus lucidus visus est, cujus medium stabat in Horizontis Septentrione, extremitates ad Arcturum in Occasu, & ad Pleiades in Ortum,  $40^{\circ}$  altus; lucidus fatis, ut Solem è Septentrione jam ortum ire diceret; sed hic nihil est novi.

Post horam septimam, quasi violenti incendii flammæ, vel continua fulgura totum albicantis arcus locum occupaverunt. Serpebant ex Horizonte ad cœli fornitem haud absimiles veri furni flammis, extremitates arcûs rubicundo atrove fulgore vulgum terrebant, ipsæ flammæ in atrum fumum desinere videbantur, ita ut diem Domini instare mulierculæ non dubitarent. Cœleste hoc incendium plusquam horam duravit; Scenâque mutatâ, ex Horizonte exilire columnas, quæ ad Zenith pertingerent, visum est: Ex eâdem supradictâ basi, coronâ in extremitate Phænomeni tum occidente & cornu Tauri inferiore ab alterâ parte surgente, columnæ plus minusve latæ,  $60$  aut  $70^{\circ}$  altæ, tria vel qua-

quatuor minuta durantes, paulatim evanescentes, vel prius in igneum colorem versæ; post aliquod tempus cessarunt columnæ: tum Aurora Borealis ut primum fulsit, cui ante decimam successerunt flammæ vehementiores quam prius, quibus cessantibus columnæ circa undecimam visæ sunt, magis diutinæ, & 120<sup>o</sup> plerumque altæ: Rursus Aurora, mox flammæ, postea columnæ, atque ita ad tertiam usque, quâ videbantur adhuc Phænomeni reliquæ.

Ultra luculam, quæ semper Septentrionalem, quam dixi, cœli partem illustrabat, majoris Ursæ stellæ parum fulgebant. E Vefontio, quod 90 milliaribus hinc distat, eodem modo visum fuisse Phænomenon accepimus.

Arfit interea unum ex illis Meteoris, stellæ cadentes dictum, quod ultra Phænomenon arfisse visum est.

Ex reflexione Solaris luminis à partibus Atmosphæræ Borealibus congelatis Auroras Boreales formari dictum est: Sed flammæ adeò notabiles quo pacto explicentur non video. Si ab exhalationum incendiis ortum hoc Phænomenon censeatur; Aurora Borealis Phænomeni comes, columnæ, duratio Phænomeni, & ipsius in eodem loco statio, negotium faceffent.

*Joh. Lud. Calandrini;*